

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA  
DE  
LIENTERIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI  
DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI DECANI,  
nec non

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

RITE OBTINENDA

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Jos. Leonh. Schubert,*

*Styrus Graecensis.*

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis  
aedibus die 4. Augustii 1831.

---

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

# L I M I T E D

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

**Patri optimo,**



**gratissimus filius.**



## Denominatio et definitio morbi.

**S**ub *lienteria* — ab aliis *levitas intestinorum*, *diarrhoea dyspeptica*, *diarrhoea indigestorum*; a Germ. *Magenruhr*; Gallis *Lienterie*, Anglis *Looseness of the belly*; Belg. *Spysloop*, *Algang van onverteerde Spys* — dicta, eum intelligimus statum morbosum, quo *ingesta*, tam *cibi*, quam *potulenta* ocius aut *serius* post *assumptionem* magis minusve *indigesta* vel *cruda* per *alvum iterum* secedunt, quo *consuetim* *aliam mutationem* experiuntur, nisi *masticationem praegressam*.

Sicuti alii morbi per *diversam symptomatum complicationem* *aliam atque aliam induunt faciem* et *varia pro characteris diversitate offerunt signa*, ita et *lienteria largam nobis phaenomenorum symptomaticorum copiam praebet*, quibus *bene perspectis et ordinatis certiores reddimur de ejus natura atque indole*.

*Experientia docet*, *cibos omnis generis in aliis casibus et omni tempore indigestos per alvum depositos esse*, quod in aliis certis tantummodo accidit *cibis*. Quoad tempus nunc diutius in *organismi penetralibus*

relinentur ingesta, nunc intra unius quadrantis horae spatium imo citius conspiciuntur expulsa. Exempla praesto sunt, incredibilis alvi lientericae celeritatis, sic remedia adstringentia aliquot minutis postquam aeger ea consumserat penitus immutata profluebant. Nonnumquam veram morbi remissionem observarunt medici, et celeb. *Schlegel* narrat de aegro triginta duorum annorum per triennium hoc malo tentato, morbum distinctas intermissiones per hebdomades atque menses extensas celebrasse. Reliqua phaenomena hoc malum concomitantia admodum variant. Consuetim appetitum prostratum invenimus; sed dantur etiam casus, ubi morbus appetitu bene vigente imo voracitate et bulimo stipatus decurrit. In singulis aegris aversatio aut omnis nutrimenti aut certorum solum ciborum, in aliis adaucta salivae secretio, nausea, vomitus observantur. Dolores, spasmi, borborygmi in tractu intestinali, sensus frigoris et vacuitatis in ventriculo, pressio in scrobiculo cordis, inflatio abdominis et alia symptomata similia tam prodroma, quam comites sunt lientericae. Ut plurimum associatur tenesmus, excretio urinae impedita, dolorifica, urina ipsa cremore praedita et reliqua conditione alienata. Sunt etiam casus, quibus symptomata modo enumerata desunt. S. G. *Vogel* hominem tractabat, qui ambulans excretiones ciborum comestorum lientericas sine omni alio incommodo passus est.

Excrementa aut solis cibis indigestis constant, aut bilem, mucum, sanguinem mixta gerunt, nonnumquam coloris nigricantis intolerabilem spargunt foetorem.

Paulatim malo magis magisque incremente, debilitas, pervigilium, sitis valida, dolores atroces in abdomine, emaciatio, exulceratio cutis externae, cachexia, hydrops, tympanites, aphthae, febris, icterus, magna relaxatio viscerum abdominalium, excretiones dysentericae, haemorrhoides insequuntur, totusque morbus in recidivum admodum pronus.

---

## De morbi causa.

In hujus morbi causam inquirentes apud auctores diversos diversam offendimus adlatam. Medici antiquissimi in peculiari conditione laevi atque lubrica tubi intestinalis causam lienteriae proximam invenerunt, unde etiam morbus sibi nomen non nimis adaequatum lienteriae a λειον laevis, glaber et ερρεγον intestinum adquisivit. Huc pertinent opiniones *Hippocratis*, ejusque discipulorum, coetaneorum, et plurimorum aliorum. *Aretaeus* debilitatem ductus intestinalis pro causa agnoscit. *Ruy-sch* deducebat unicam et veram lienteriae causam ab extensione pylori abnormi, quam sectio

cadaveris eum docuit, cui *Biel* sequentia adnectit: »Atque cum nihil tam comprehensibile sit et rationi tam consentaneum, quam quod lienteria ab hac causa pylori puto relaxatione oriatur, tum non est mirum, quod multi docti viri eandem pro causa proxima universali hujusce morbi habeant.« *Baglivius* dicit: »Lienteria fit ob nimiam pylori laxitatem et aliarum partium ventriculi irritationem nimiam.« *Schenck* confirmabat omnem lienteriam in ulcere intestinali fundatam esse. Alii eam demonstrabant ex induratis et obstructis glandulis meseraicis. Praecipua ratio variarum opinionum auctorum sibi adeo oppositarum in eo consistit, ut alii proximam causam solum in ventriculo et alii solis in intestinis quaerent. *Biel* jam unionem harum opinionum tentavit, dicens, nec hanc nec illam sententiam de omnibus casibus valere, sed pro eorum diversitate causam proximam modo hic modo illic latere.

Auctores recentiores momentum geneticum ex succo gastrico inani et abnormi irritabilitate tractus intestinalis; *Stoll*, *Dreyssig* e. a. ex relaxatione et paralyysi vertriculi, praecipue pylori, cum adaucta simul irritabilitate ductus intestinalis derivant. *Soemering* majorem vasorum lymphaticorum irritabilitatem, ex debilitate ortam, assumit. *Riverius*, *Dolaeus*, *Senert*, *van der Linden*, *Coschwitz*, *Lanzoni* et plures alii lienteriam et fluxum coeliacum pro uno eodemque morbo, gradu solum diverso declarant.



Has nunc enumeratas diversorum auctorum opiniones de natura et causa proxima hujus morbi considerantes, multas offendimus, quae verae et ad singulares casus explicandos idoneae sunt. Attamen multo plures experientia nobis offert casus, quorum expositionem ex rationibus supra recensitis frustra tentares. Quum recta cujuscumque morbi cura, a vera ejus natura cognitione dependeat, et ad eam non perveniamus, nisi rationibus morbi omnibus undique perlustratis et hic diversas opiniones de lienteriae natura adductas conferimus et secundum varias morbi rationes eum in certas dividimus species, ut non solum ad veram et strictam diagnosin sed etiam ad congruam progrediamur therapiam.

---

## Morbi divisio.

Uti generatim idea vitae morbosae ex idea vitae normalis scaturit, ita et ad cognoscendum statum alicujus functionis pathologicum prius vera cognitio rationis illius physiologicae necessaria est, et legum physiologicarum numerus, numerum simul aberrationum sistit. Ut ergo diversas lienteriae species statuamus, non inepte a processu digestionis respectu physiologico exordiamur.

Omnes ad normalem digestionis processum necessariae conditiones ad sequentia tria momenta principalia reduci possunt :

- 1) Ratio tam quantitative quam qualitative normalis succorum ad digestionem necessariorum ,
- 2) mora digestionis sufficiens ciborum in ventriculo et reliquo tractu intestinalium ,
- 3) structura normalis ventriculi et tubi intestinalis, ac normalis nexus inter ambos.

His tribus momentis physiologicis processus digestionis consideratis facile intelligimus, unum vel alterum a norma aberrans causam praebere posse lienteriae. Reliquae a diversis auctoribus citatae causae omnes simul in hisce tribus momentis radicantur. Discedit igitur lienteria in sequentes tres species :

I. In lienteriam ex abnormi ratione succorum gastricorum ,

II. In lienteriam breviori ciborum in ventriculo morae innitentem, cujus causa in tubi alimentaris radicitur spasmis.

III. In lienteriam ex vitio organico.

I. Prima lienteriae species ea est, cujus causa unica in abnormi quantitativa ac qualitativa ratione succorum gastricorum quaerenda est.

Decursus hujus lienteriae praecipue eo excellit, ut cibi serius, interdum secundo demum post pastum die indigesti per alvum deponantur. Consuetim haec

lienteria aegros non cruciat doloribus et spasmis in abdomine. Aegri mox emaciantur et magna vexantur debilitate. Haec lienteria pertinacissimis adnumeratur malis et multo difficilius sanatur, sequenti. Momenta, quae hanc aberrationem succorum gastricorum a suis rationibus normalibus ponunt, aut ex locali aut ex universali morbo procedunt. E morbo locali oriuntur, si organa secretioni succorum gastricorum dicata, ita morbose adficiuntur, ut eorum secretio respectu quantitatis aut qualitatis a suo typo normali aberret. Huc pertinet: Lienteria a mutationibus pathologicis parietum ventriculi, ceu organis secretoriis succi gastrici ducens ortum. Lienteria a vitiosa bilis secretione.

Si fontes alienationis pathologicae succi gastrici in morbo universali ponimus, primum occupant locum cachexiae. Omni massa humorum statu cachectico correpta, etiam eorum producta, secreta, succi gastrici simili conditione notata esse debent. Haec alienatio etiam quodammodo causam dilucidat, quare aut omnes generatim, aut certi tantum cibi, uti vegetabilia, non digerantur. In hacce lienteriae specie saepissime causa cum effectu commutatur, et cachexia pro morbi effectu habetur, cum tamen vices gerat causae. Lienteria cachexia notata non alia nisi methodo anticachectica sanatur; omnia igitur, quae cachexiam extinguunt, lienteriam amovent. Diaeta digestu facilis, nutriens, aër purus, medicamina vitam plasticam intendentia, ama-

ra, China, praeparata ferri, animum exhilarantia, com-  
 pescentia medici votis satisfaciunt. Morbis localibus  
 e. g. indurationibus, desorganisationibus parietum ven-  
 triculi secretionem abnormem reddentibus et lienter-  
 iam exinde provocantibus, non credimus quidem  
 cura radicali sanari posse lienteriam, sed eo magis  
 processus digestionis labefactatus a medico curam ex-  
 postulat palliativam, ut et ars, quousque fieri potest, re-  
 stituat, quae viribus deficiunt digestivis.

II. Secundam lienteriae speciem spasticam nuncu-  
 pavimus. Irritabilitas ventriculi et tubi intestinalis spa-  
 stice adfecti nimis intensa est causa hanc lienteriae spe-  
 ciem procreans; motu peristaltico nimis rapido cibus  
 necessaria et sufficiens subactio in ventriculo denega-  
 tur, quibus cursu adeo praecipitato per tractum inte-  
 stinalem ruentibus, nec adminiculis mechanicis, nec  
 chemicis, nec dynamicis digestionis tempus concedi-  
 tur, ut suas in illos exserant vires, unde nullam fere  
 experiuntur mutationem et indigesti iterum prodeunt.  
 Multis exemplis satis convincimur, talem motum spa-  
 sticum et vividioram ansam dare secessui ciborum in-  
 digestorum: sub insultu hysterico, paroxismo febrili,  
 remediis purgantibus drasticis in usum tractis saepe li-  
 cet eam observare. De hac lienteria auctor aliquis ano-  
 nymus loquitur, asserens: »Dass dieser Krankheit  
 krankhaft vermehrte peristaltische Bewegung, welche  
 von zu grosser Empfindlichkeit des Darmkanales her-

zurühren scheine, zu Grunde liege.« Qui vero putans, se non tantum hujus speciei, sed cujuslibet lienteriae causam exposuisse, valde errat, quod ex antea dictis facile nobis elucebit.

Proximam hujus lienteriae causam in spastica et aducta irritabilitate ventriculi et tubi intestinalis inveni- entes, illam vel ab immodica sensilitate totius systema- tis nervosi (inde excretiones hystericarum lientericae) vel a morbis praegressis harum partium deducimus. Sic lienteria saepe gastritidem, enteritidem, choleram, dysenteriam et alios subsequitur, stimulos cavum tra- ctus intestinalis habitantes. Hanc causam agnoscit ex- cretio lienterica infantum morbo verminoso laboran- tium. Cibi et potulenta tractum intestinale nimis ir- ritantia huc referenda. Usus cerevisiae male paratae, in acidam fermentationem ruentis, fructuum horaeorum acidulorum, immaturorum hanc lienteriae speciem pro- vocat; *Autenrieth* saepius observabat, eam ab usum succorum acidulorum vegetabilium, refrigerantium, atque musti pomorum aciduli insecutam esse; nec adeo rari sunt casus, ubi arthritide repenter abacta, ulce- ribus habitualibus, inveteratis, inepte sanatis, male tractatis atque suppressis exanthematibus chronicis cu- taneis haec in conspectum prodit lienteria. *Haase* sa- gacissime asserit, altiore stimuli receptivitate organo- rum aliorum antea morbose adsectorum ad tubum intestinale modo antagonistico propagatam huicce

malo subesse. Non minus functionis laesae systematis cutanei hic memores esse debemus, nam notum est, intimum nexum intra systema cutaneum et tubum intestinalem vigere. *Hippocrates* jam monet de lienteria tempore autumnali frequenter occurrente, quo nullo alio anni tempore potentiis nocivis externis systema cutaneum magis expositum deprehendimus.

Plurimi auctores in eo consentiunt, quod senes et infantes lienteria praecipue corripitur arbitrantur. In aetate senili et infantili tractum intestinale spasmis valde obnoxium esse, experientia in infantibus periodo dentitionis, in aetate provectoribus hypochondriacis, hystericis testatur; quare conclusio falsa non esset, hisce vitae periodis lienteriam spasticam magis minari.

Diagnosis lienteriae spasticae per sequentia confirmatur symptomata. Cibi vix ingesti immutati evacuantur, symptomata affectionis spasticae tractus intestinalis: colica, tormina, borborygmi aegrum vexant et evacuationi faecum vel praecedunt vel eam concomitantur. Nonnumquam haec lienteriae species remittit. Haec cum causis praegressis vel adhuc praesentibus comparata ad firmam ducunt diagnosin.

Prognosis hujus speciei, quam praecedentis, faustior statuenda est, cui jam *Hippocrates* in sequenti adnuit aphorismo: »In diuturnis intestinorum levitatibus ructus acidus accedens, qui prius non erat, signum bonum.« Si cibi comesti in ventriculo acescunt

et ructus acidos causant, eo respectu prosperum nobis pollicentur eventum, quod irritativa spasticaque ventriculi conditione imminuta, cibus longiorem concedi moram, persuasum habemus.

Therapia lienteriam spasticam adgrediens, causas inquirit et removet, quibus alacrior et spasticus motus tubi intestinalis innitebatur et remediis utitur narcoticis, oleosis atque mucosis. Hic aqua laurocerasi optimo cum effectu adhibetur, a celeb. *Schlegel* adeo commendata. Praeterea cautela therapeutica, quae in omni morbo tubi alimentaris irritabilitate spastice intensa stipato, summam attentionem meretur, et hic adnotanda venit, ut nempe medicamina parva quidem dosi, sed brevibus porrigantur intervallis. *Autenrieth* monet de eadem re: »Dasselbe Mittel alle Viertelstunden in kleiner Gabe gereicht, wirkt oft noch in anscheinend verzweifelten Fällen, das alle zwei Stunden in mehr als achtfach grösserer Gabe genommen nichts hilft.«

III. Tertia lienteriae species ea est, quae proxime ex vitio organico ventriculi vel tubi intestinalis suam sumit originem. Quamquam nunc lienteria ex vitio organico deducitur, tamen exinde non fluit, omne vitium ventriculi vel tubi intestinalis organicum hanc lienteriam generare; nam vitium organicum et irritando motus spasticos ventriculi et tubi intestinalis provocare et secretionem succi gastrici impedire valet, ergo ea

solum vitia organica in hunc ordinem redigi possunt, e quibus lienteria directe progreditur. Haec vitia organica in duas discedunt classes:

1. Dilatio et relaxatio pylori, qua cibi statim post assumptionem e ventriculo in intestinum duodenum transgredi possunt, uti in casu a *Ruysch* communicato.

2. Concretio ventriculi cum quadam portione tubi intestinalis et subsequa perforatio parietum concretarum.

Diagnosis lienteriae ex vitiis organicis ortae multis premitur difficultatibus, aliquam tamen movere possumus suspicionem de hac rerum conditione, si aeger in peculiari quodam situ aut positione corporis, qua cibi diutius in ventriculo commorari possunt, aut nullam aut minus lientericam evacuationem experitur. Haec lienteria ad mala numeratur insanabilia; medicus frustra vires artis medicae tentabit, vix aegri sortem tristissimam paululum mitigare valebit. Remediis narcoticis mox ante prandium propinatis et postea quiete corporis strictissima cibos quidquam diutius in ventriculo retinere student.

---



# L i t t e r a t u r a .

---

*Hippocratis Aphorismi.*

*A. G. Richter*, med. chirurg. Bemerkungen. Göttingen 1793.

*Horn*, Archiv für med. Erfahrungen. 1816.

*Haase*, über die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1820.

*S. G. Vogel*, Handbuch der Arzneiwissenschaft. Stendal 1816.

*Ehrhart*, med. chirurg. Zeitung. 1817.

*Stoll*, praelectiones in div. morb. chron. Vienn. 1789.

*Dreyssig*, Handbuch der Pathologie der chronischen Krankheiten. Leipzig 1799.

*Rosenstein*, Anleitung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten. Uebersetzt von Murray. Götting. 1798.

*H. Boerhaave*, Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis. Norimberg 1655.

*Gruner*, Bibliothek der alten Aerzte. Leipz. 1782.

*J. B. Friedreich*, über die Lienterie. Würzb. 1824.

*Rondeletti*, Method. curand. omn. morb. corp. hum.  
Lugd. 1575.

*Biel*, Dissertatio de Lienteria Goett. 1770.

*Fick*, Dissertatio de Lienteria. Jen. 1794.



# Theses defendendae.

---

I.

**Ex habitu corporis externo multi cognoscuntur morbi.**

II.

**Morbi hepatis saepissime arthritidis prodroma.**

III.

**In medicum confidentia aegri altum tenet in pharmacologia locum.**

IV.

**Cibus homini ex utroque regno organico destinatus est.**

V.

**Venaesectio quandoque diaphoreticum.**

VI.

**Musices vis in multis morbis salutaris.**

VII.

**Quae per se reducuntur, metalla verosimile omnia plus, minus contra luem agunt.**

VIII.

**Morbus vere intermittens non datur.**

**IX.**

**Quo simplicior therapia , eo magis rationalis.**

**X.**

**Vinum roborat et stimulat.**

**XI.**

**Ubi matris et foetus vita periclitatur, illa, et si cum nece hujus fiat, servanda.**

**XII.**

**Virginitas physica potest adesse, absente virginitate morali, et contra.**

